



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 4. Aspirationes post Missam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

Sexta Communionis ab illis verbis *Communicantes* usque ad post Communionem, quâ Sacerdotis animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communionem peragitur, se disponit. Septima *Gratiarum actionis* à post communionem usque ad finem. Porro in singulis stationibus variis affectus excitari possunt, raptim quidem & breviter, sed breviter intensio affectuum, atque ordo devotionis componantur.

## S. III.

*De gratiarum actione.*

Quatuor post Missam præstanda sunt, quorum primum & præcipuum est Gratiarum actio, secundum Oblatio, tertium Petitio, quartum Propositum dignè coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quantum exactius fiet, tanto erit copiosior oblati Sacrificii fructus. Sicut enim ingratitude fontem divinæ largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit cælestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis & variis modis excitari, quos unctio suggeret, & ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod à nobis expectat Deus, ut grati simus, & memores beneficiorum ejus. Sequitur oblatio, quâ par pari Deo reddere Sacerdos potest, Filium ejus Unigenitum & consubstantialem ei offerendo. Se ipsum quoque offeret Patri & Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: & quod gravior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis & omnium Sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, & tota fiducia nostra. Quia verò cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis & aliorum necessitatibus humiliter & ferventer deprecabitur. Horum actuum formula in promptu habenda erit, potestque ex his excerpti, quæ superiori capite descripta sunt. Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem Christianæ perfectionis perveniat.

## S. IV.

*Aspirationes post Missam sæpe per diem repetendæ.*

Quis me separabit à charitate tua Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea: non amor mundi, quia ipsum sperno

& omnes pompas ejus: non tribulatio, quia tu dum tribulor mecum es: non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum, & divitiæ meæ: non persecutio, non gladius, quia hæc dulcia mihi sunt propter te: non creaturæ, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relicto adhæsit anima mea? quando trahes me post te captum specie tuâ & pulchritudine tuâ? Quando mihi & toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, & tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, à te nunquam discederem, in te prorsus converterer?

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes, quando facies ut diligam te toto corde, totâ animâ, totis viribus?

Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum & desiderium meum.

Resice Domine esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præsentis tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in Cælum, & ne permittas me vagari super terram.

Penetret quæso hujus Sacramenti virtus omnia intima mea, & quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet & eradicet.

In te Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudii quod est sine te, amara mihi sit omnis quies, quæ non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant, & quidquid terrenum in me est, comburant & consumant, ut igne inextinguibili charitatis tuæ ardeam, & verus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quæ me transformet in te, & in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!